



Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. de Multipraesentia Rei finitae.
2. Tr. de Contradictionis Natura et Principio.
3. Tr. de Oppositione Enunciatorum.
4. Pansophia liberalis Tabellis repraesentata.
5. Disquisitio Magnetica.
6. Tr. de Notitiis naturalibus.
7. Tr. de Cognitione humana universa, duabus Exercitationibus comprehensa.

DE VLTERIORIBUS CONTRA MVLTIPRÆSENTIAM ARGUMENTIS.

Respondente
MARTINO HENRICO de FRANKENSTEIN, Iuniore, Iegerndorf. Silesio.

THESIS LVIII.

QVod actu uno circumscribitur, nullâ vi in alio esse potest, ut & eo concludatur. V. §. 44. seq. *Sed circumscriptivum aliquid esse potest per sui Naturam, ut actu tamen uno loco non concludatur per extraordinariam accedentem inhibitionem. Ita nos de Corpore varijs locis â DEo statuto.* V. §. 39. *De responsionibus* Cotoni, Sanctesij, Bellarmini, *apud* Chamierum c. II. *parùm moramur.* Sua quisq; defendere poterit. V. t. 38.

59. 9. Si ab uno loco in multis Corpus fit præsens, aut per generationem novam ibi sistitur, ut cum homo generatione fit, *qui antea non erat,* aut per motum localem, *ut cum Sol supra horizontem progreditur.* Sed neutro modo. Non generatione: *Nam quod generatur, antea non erat. At Corpus quod ab uno loco in multis fit præsens, jam erat in uno, antequam fieret in multis præsens.* Nec motu locali; *Nam hoc deserit locum, in quo erat, ut abeat ad alium. Hic autem ponitur non deserere priorem, sed retento illo alium simùl nancisci. E. nullo modo Corpus ab uno in multis locis præsens esse potest.* R. Major iterùm insufficiens. *Datur tertium,* aut per singularem &

admirabilem ubicationem, *quam aliqui* adductionem non localem *vocant, ut* Danhaverus, V. §. 47. *quam ſupernaturalis poteſtas tali Corpori inferret.* Quæ locum generatione aut permutatione acquirunt, naturaliter eum acquirunt. *Hic autem de caſu ſermo, qui* ſupernaturali poteſtate *in Corpore conformetur, nulla Naturæ virtute in eo induci poſſit. Hic non opus, modos Naturaliter aliàs uſitatos inducere & applicare velle, ac, ſi non quadrent, rem totam pernegare.* Ita in reſurrectione mortuorum *procedam ; Corpus mortuum reductum* aut *generatione*, aut *alteratione*, aut *motu locali, aut novâ creatione, reducitur.* Non illa, *ſic enim antea non fuiſſet. At fuit.* Nec hac, *quia hac qualitates reducit in Subſtantiâ, non ipſam Corporis ſubſtantiam.* Nec motu locali, *quia hic ad ubi tendit, & præſentiam in novo ubi acquirendam.* Nec novâ creatione, *ſic enim aliud numero à priori erit. E. prorſùs non reducitur.* Addetur; aut ſingulari DEI virtute, & extraordinariâ reſuſcitatione ad vitam. *Et rectè. Cur non in noſtro* ſimile *quid addatur, quod itidem miraculoſum agnoſcimus. In Cœnâ* Reformatis *objicias: Corpus Chriſti aut præſens ibi ſiſtetur novâ generatione, aut locali è Cœlo progreſſione :* Tertium membrum *ex ſuis hypotheſibus ſuppeditabunt*, aut Spirituali, Virtuali, & Sacramentali cum mentibus fidelium conjunctione. *Cur non in hac materiâ ex noſtris* ſimile *quid liceat adjicere? De reſponſionibus* Bellarmini, Baptiſtæ, *quas hic iterùm* Chamier *reponit*, ipſi viderint. Nobis propoſitum non eſt, *omnes Authorum ſententias aut reſponſiones defendere: ſed quid veri ſimilimè his reponi poſſit, adducere.* V. c. 38.

60. 10. Si nec angelus, nec anima, ſimùl in duobus locis poni poſſunt, minùs poterit Corpus. *Sunt enim illa naturæ ſimplicioris, & minùs loci affectionibus obnoxia.* At illa non poſ-

ſunt,

sunt, ut apertè Athanasius ad Antiochum q.26. testatur. Ubi solius Dei esse ait, *in duobus locis esse, & per totum mundum in eodem momento inveniri. Nullum angelum id aliquando facere posse. E. nec corpus.* R. Minor si stringere debeat, *sic capienda: Nec angelus*, nec anima, in duobus locis per absolutam DEi potentiam sisti potest. Sic Nego minorem. *Aequè hoc DEus in spiritu præstabit, ac corpore, &* faciliùs, *cum quantitatum impedimenta hic nulla.* V. §.75. *Firmâ ratione aliquâ* minor *probari debuisset, & adducitur sola à* Chamiero Athanasij *authoritas. De* Patribus *quid habendum*, §. 38. s. 4. de ess. alicub. *ostensum.* Athanasii istæ quæstiones non sunt, sed longè recentioris authoris, *cum nonnulli in illis citentur, ut* Gregorius, *qui longè posterior Athanasio est. Et* ferè in Tomo IV. Athanasio *adscripta, reverâ ejus non sunt, ut* Bellarminus in Catal. scrip. Eccles. *sub Athanasio*, Et in recognitione libror. d. Ecclesia l. 4. c. 9. §. 18. & l. 1. d. purgat. c. 10. docet. *Ac* Sixtus Senensis, Possevinus, & Maldonatus *concedunt, quanquam* Baronio *aliter videatur. Ex Reformatis* Rivetus *agnoscit, non esse* Athanasij, libr. 3. Critici sacri, c. 6. *Et licet essent* Athanasij, non tamen authoritas ejus simpliciter stringeret, Cum totum hoc probandi genus exotericum sit. V. c. l. *De ordinario etiam rerum Cursu & facto ipso, quomodo res communiter procedunt, loqueretur* Athan: *Quomodo sæpè Patres de rebus loqui solent*, V. c. l. §. 39. *Et quomodo nemo corpus vel spiritum in multis locis simùl esse asserit:* Nos *autem* de potentiâ & extraordinariâ Dei dispensatione *loquimur, quod longè diversum.* 11. Si corpus simùl in duobus locis, E. admittere poterit prædicata Contradictoria, v. g. in uno loco sursùm esse, in altero deorsum, uno moveri, altero quiescere, uno esurire, altero comedere, frigere & calere, frigesieri & calefieri, verbe-

rari & non verberari, vulnerari & non vulnerari, occidi & vivificari, mori & vivere, creari & annihilari, eſſe & non eſſe, recedere à loco & non recedere, *ſibi ipſi in medio via occurrere, & vel averſum vel adverſum, ſeipſum videre & non videre, &c. At hæc omnia* abſurdiſſima, *& verè contradictoria ſunt, quæ nullâ poteſtate ſimùl conſiſtere poſſunt. E. prius fieri non poteſt.* R. Multiplex hic reſponſio. Diſtinguuntur accidentia in relativa ſ. *à loco pendentia* & abſoluta. *Illa non eadem in tali corpore fore, hæc omninò.* Diſtinguitur fieri actionum, & factum eſſe. *Illud non idem in utroq; loco fore, hoc fore.* Diſtinguitur inter eſſe naturale, *quomodo accidentia in utroq; loco eadem futura eſſent, & ſupernaturale, quomodo diverſa & etiam oppoſita.* Negatur, *hæc implicare contradictionem, quia non fiant* reſpectu ejusdem loci. *Sic Petrus erit vivus Romæ, & mortuus Pariſiis, in diverſis ubi dicitur, non abſolutè: Diverſitas autem loci tollit ſecundùm idem dici, Vt* diſ. 5. Gymn. Log. t. 18. *oſtenſum.* Aſſeritur, Corpus in multis locis, etſi ſit unum & identicum numero, virtualiter tamen eſſe multiplex, *& ſic multiplicato reſpondere. Vnde ex vi identitatis numericæ mutatio facta in corpore, prout eſt hic, non magis ſit in eodem, ut eſt alibi, per replicationem, quàm in corpore numero diſtincto. Corpus enim, ut eſt in uno loco, planè impertinens eſſe ad ſeipſum, prout eſt in alio. Adeoq; Romæ frigidum eſſe poſſe, Coloniæ calidum, hic dormire, ibi vigilare, hic Papam videre, ibi non videre*, citra contradictiones. *Et quæ alia malagmata intricationibus eruendis applicantur, quæ* ap. Conimbricenſes, Complutenſes, Ruuium, Moriſanum, Bellarminum, Valentiam, Murciam, Cotonum, Becanum, Arriagam, Mendozam, alioſque *videas.*

61. Ex noſtris hypotheſibus §. 40. ſeq. traditis negatur con-

Consequentia majoris. Nihil illorum admitteret corpus multis in locis à DEo ubicatum, *quia θνητὴν δυσχέρειαν inferunt universa, eamq́ localitatem comitantur*, quæ imperfectionibus mista & subjecta est, non quæ meras perfectiones habet, qualis in nostro casu in Corpore extraordinariè in varijs Vbi locato obtineret. Sursùm, deorsùm, esse, moveri, quiescere, *si ea attributa notet, quæ in loco, quo actu corpus locatum circumscribitur, contingere eiq́ nexa esse solent, negamus in nostro Corpore locum habitura. Nullo enim loco actu illud circumscriptum & conclusum profitemur, sic enim non extra & in alio esse posset, ut* §. 47. *dictum. Sic nec sursùm, nec deorsùm, nec moveri, nec quiescere* localiter *poterit, sed alias perfectiones majores divinitùs continebit*, eminentiore modo istis respondentes. *Quæ tamen, quomodo in specialissimis minutijs se habitura sint, explicare non tenemur*, qui casum miraculosum fore præassumimus. *Quomodo nec in Resurrectione mortuorum omnes minutias modi palàm dare coguntur* Reformati, *cum ingens eam fore miraculum, & illustre divinæ potestatis argumentum nobiscum, confiteantur.* In genere dicere possumus, motum non localem & locali superiorem futurum, *eoq́ & tale sursum & deorsùm futurum. Sic anima in capite est sursum, in pedibus deorsum*, V. §. 34. 53. Sed non rigidè localiter. *Non n. corpus, sed spiritus est: sed altiore quodam modo, indivisibili substantiæ, qualis spiritus est, competente. Sic* per analogiam de Corpore multipræsente *habendum.*

62. Dices: Hoc responsum nihil juvat. *Nam & Christus homo in multis locis sistitur nostrâ sententiâ, & ad eam perfectionem evectus est, ad quam nullus mortalium unquam evehetur. Nihilo minùs Scriptura de ipso voce sursùm utitur.* Colos. 3. v. 12. Ephes. 4. v. 10. Cur non idem de Corpore in

multis locis ſtatuto urgeatur, fore ſimùl & ſurſùm & deorſum? ℞. Scriptura de Chriſto ſurſùm uſurpat, *ſed non præcisè loci & conditionis localis, ſic enim* omnibus Corporibus ambientibus pereuntibus deſineret Chriſtus ſurſùm eſſe, *ut in conflagratione mundi extremâ, quod non erit:* Sed ſtatus, ſublimitatis, & modi vivendi, *quòd is totus Spiritualis, myſticus, majeſtaticus, & divinus ſit. Ita eſt ſurſùm, ut in dextrâ DEi ſedens ſit,* Coloſ. 3. v. 1. *Dextra autem DEi non eſt ſupernum quid* locali reſpectu, ſed infinitæ majeſtatis, gloriæ, & potentiæ. V. §. 16. *Ita* Philoſophi *ſupra & extra Cœlum locum negantes,* τὸ ſupra & extra *non poſitivè de vero loco uſurpant, ſed privativè de eo, ubi locus ampliùs non eſt, ſed exſpirat.* Ita Veteres in Euchariſtiâ, ſurſùm corda, *non loci ratione, ſed Spiritualium & ab terrenis abſtractorum cogitatorum, inclamabant. Ita,* ſalvâ in multis diſparitate, *Corpus in multis ſimùl ubicatum, ſursùm & deorsùm eſſe fateri poſſumus, ſed præciſis infirmitatibus* localibus ſublunaribus, *eminentiam & dignitatem in illo agnoſcendo, non mortales imbecillitates implicando. Surſum & deorſum erit, ſed* pro ratione ſublimis iſtius ubicationis, *quâ à DEo ubicatur, non immiſcendo mortales ineptias contrarietatum, pugnarum, occurſationum, & quæ plura temeritas humana hic invexit. Ita* anima humana in quadam Corporis parte tota movetur, in quâdam tota quieſcit, *in quâdam tota eſt ſurſùm, ut capite, in alia tota deorsùm, ut pedibus, citra veram contradictionem.* Simile *quid DEum in Corpore variè ubicato præſtare poſſe, Cur ſit incredibile?* Præterea *hic nonnulla adferuntur,* quæ de Corpore, ut ſic, *urgeri non poſſunt. Ut calefieri, frigefieri, eſurire, ſaturari, ambulare, quieſcere, ſtare, ſedere, morbidum, ſanum eſſe, occidi, vivificari, mori, vivere, &c.* Hæc vel animato, vel ſublunari Corpori, vel etiam animali *tantùm inſunt.* Cœleſtia Corpora nec calefiunt, nec frigefi-

unt, nec humectantur, nec siccantur: *Sed qualitatibus elementaribus & mistis longè sunt eminentiora, ut* Philosophi *docent.* V. t. 42. *Quæstio autem* de Corpore indifferenter ab Scholasticis *formatur.* Cur adferuntur, quæ certis tantùm corporibus competere possunt? *Quod ambulat, quiescit, stat, sedet, morbidum, sanum, &c. est*, animal sit *oportet, non Corpus qualecunque. Ita non de Corpore in genere inferendum, sed de animali erit.*

63. Jam, quòd Contradictionem amoliuntur per hic & nunc, ut Petrus sit vivus Romæ, mortuus Luteriæ, *citra contradictionem, parùm juvabit. Sanè* diversitas loci Contrarietatem interdùm infringit, *ut in* Logicis *contra negantes adstruxi*, d. 5. Log. t. 18. *Sed in his prædicatis non faciet. Album & nigrum, saturum & famelicum, mortuum & vivum esse, de unâ re nullâ loci diversitate simùl affirmari possunt. Nisi* omnes in universum contradictiones hac ratione conciliare nitaris. Dicam, *Petrus est albus Romæ, niger Bononiæ, Doctor Parisijs, Cerdo Venetijs, esuriens Paduæ, saturus Basileæ, & infinita de re enuntiabo, quæ verissimè contradicent. Non pendent vivum & mortuum, ægrotum & sanum esse, à locis*, ut eorum beneficio utrumque prædicatum uno tempore de uno subjecto enunties: *sed* absoluta prædicata sunt, *quæ simùl de subjecto* secundùm eandem partem, & tempus, ac qualitatis formam, *nullâ potestate verificare queas, quascunque locorum differentias adducas. Qui* vivus *est, nullâ ratione ullo in loco mortuus esse potest. Qui* totus albus, *nullâ ratione totus niger, qui Doctor, nullo in loco Cerdo rudis erit, citra Contradictionem.* Rectè ipse Becanus p. 2. T. 1. Th. Schol. tr. 4. c. 2. q. 1. n. 10. Idem corpus simul vivum & mortuum esse non potest. *Contrà ac* p. 3. tr. 2. c. 17. q. 16. n. 5. *disputat.* Rectè Arriaga d. loco, n. 127. Si illa duo prædicata, mori & vivere, peccare & non peccare, &c. sint

contra-

contradictoria etiam reſpectu plurium locorum, non ſequi, eò, quòd res ponatur in duplici loco, illi poſſe ea prædicata convenire, unde argumentum eſt undequaq; imbecille. *Benè etiam* Moriſanus diſp. Phyſ. 5. q. 3. Qui actione adductivâ corpus in diverſis locis poni cenſent, nequeunt explicare, quomodo eidem ſecundùm idem non conveniant oppoſita, etiam Contradictoria, *ut calor & frigus gradibus intenſis, motus & quies, vita & mors. Quod enim reſpondent convenire ſecundùm ubi diverſum, non ſatisfacit*, quia multiplicatio Ubi non adfert ſubjecto capacitatem ſimultaneam formarum contrariarum, vel contradictoriarum, cum ibi non ſit illorum ſubjectum. *Si v. g. unus homo vivus erit Paduæ, mortuus Sienæ, erit ſimùl homo & non homo.* Mortuus enim non eſt homo, *ſed Cadaver, quod fuit homo. Hæc autem veriſſima & per omnes locorum differentias contradicentia ſunt. Rectè etiam* Veronius in methodo Catechiſmo Controv. Bailij adnexâ, c. 1. p. 49. Si idem corpus immortale & impaſſibile, plura ſupernaturaliter loca valeret occupare ſine coextenſione locorum, quæ occupat, poſſet eſſe ſanum & ægrum, frigidum & calidum, mortuum & vivum. Nego. Immortale n. Corpus nec ullo dolore tentari poſſet, multoq; minùs ſine loci extenſione exiſtens. *De paſſibili verò & mortali corpore, quod pluribus locis* continetur unà cum extenſione locali, concedo. *Chriſtus a. in Sacramento immortalis eſt*, ſine coextenſione Corporis ad locum. Ita rectè *mortales iſtæ imbecillitates de Corpore in varijs ſine extenſione locali ubicato negantur.* Illud etiam lepidiuſculum: Si ſibi occurrat in viâ, an averſum, an adverſum fuerit? *An ſeipſum viderit, aut minùs? An ſecum pugnam, ni alterum cedat, inſtituerit? Quaſi* per hæc deliria non duplex jam conſtituatur Corpus, quod ſibi occurrat, cedat, ſecùm pugnet? *Nos autem locorum pluralitatem*
unita-

unitate Corporis retentâ *salvâq; defendere debemus, & nobiscum id intendunt* Scholastici, *etsi parùm convenienter interdùm rationes & decisiones eò conforment.* Casus isti *in corpore uno sunt impossibiles, adeoque frustrà de illis litigatur.* Duplicatorum corporum esse possunt, non unius; *Sed* tùm *polytopia unius Corporis, de quâ quæstio est, exspirat.* Adessentiæ in locis *in nostrâ sententiâ multiplicantur circa corpus*; Substantia *non multiplicatur, sed unica numero permanet.*

64. 12. Si idem Corpus est in diversis locis, E. erit unum & multa, continuum & discontinuum simùl. Nam quà in horto, erit unum, quà in cellâ, multum & diversum. Et quà in horto, non continuatur cum eodem, ut est in cellâ. Sic erit unum & non unum, continuum & divisum simùl, quod Contradictorium. ℞. Negatur sequela Majoris. *Quod in horto & cellâ erit, unum & continuum erit, non divisum vel discontinuum à se*, sed præsentiæ locorum, quibus aderit, divisæ & discontinuæ erunt. *A præsentijs autem divisis & distinctis inter se, ad dividendam rem in sese, non valet consequentia. Sic* anima *in varijs Corporis partibus est in pluribus ubi, quæ inter se divisa sunt: ipsa in se indivisa & una manet.* V. s. 3. §. 12. d. ess. alic. Et t. 34. 53. 56. hujus Tract: *Ita Corpus in cellâ continuabitur cum Corpore in horto, ratione Corporis secundùm se*; Ratione autem præsentiæ localis divisum erit, habet enim duas Præsentias ad locum non continuatas, ac proinde loci ratione divisas. *Hæc autem* non discontinuant Corpus ratione subjecti & in se, sed ratione locorum, *ad quæ diversas præsentias habere dicitur. Vt contra Naturam Corporis non est, privari extensione locali, etsi totius extensionem retineat, Vt* s. 4. d. ess. alicub. §. 6. seq. *ostensum: Sic nec* plures extensiones ad loca sortiri divinitùs, *ut tamen extensio* ad totum maneat una, non fiat distans, divisa, aut duplex. *Situs n. partium in toto prior est extensione ad locum, quod*

ex Reformatis Timplerus *fatetur,* Phyſ. gen. c. 11. q. 5. V. c. 1. §. 45. 48. 27. Dices: Imò & diſcontinuatio corporis ſecundùm ſe ſequitur. Neceſſe eſt enim, illa eſſe diviſa, inter quæ magna diſtantia intercedit. Quod enim contiguitatem negat, multò magis continuitatem negat. Vt inter Corpus Gedani & Romæ exiſtens. ℞. Neceſſe eſt ea eſſe diviſa, inter quæ magna diſtantia intercedit, ſc. ratione ſui ipſius, *non autem præcisè ratione locorum, & præſentiarum ad loca, quarum reſpectu diviſa eſſe dicuntur. In Corpore in noſtro caſu* non eſt ulla diſtantia in ſeſe, *nedum magna diſtantia: etſi loca & præſentiæ ad loca, quibus adeſſe ponitur, multùm ſint diſtantia, E. g. Roma, & Vbſalia, ac Mexico. Ita præſentia animæ ad caput & pedes extremè diſtat in Corpore.* Anima ipſa per ſe non diſtat, *ut poſt patebit. Similiter Corpus in aliquot locis poſitum non diſtat à ſe, ſed eſt in locis multùm à ſeſe diſtantibus.* 13. Corpus in diverſis locis diſtabit à ſeipſo. Nam quà in horto & cellâ, quæ diſtantia loca ſunt, & Corpus in utroq; ſiſti dicitur, & ipſum à ſeſe diſtabit. *Sed quod à ſeipſo diſtat, non unum manet, ſed duplicatur.* ℞. Corpus in cellâ & horto diſtabit hoc modo non ratione eſſentiæ & ſubjecti, *ſed locorum diſtantium, ad quæ diverſas præſentias habere dicitur. Loca autem diſtantia & præſentiæ diſtantes non ſtatim Corpus ratione ſuiipſius diſtans faciunt, ſed in locis eſſe faciunt, quæ à ſeipſis diſtant.* Sic anima in capite & pedibus ratione membrorum & præſentiæ ad illa diſtare dicitur, *non à ſeipſâ & ſuâ eſſentiâ, ſic enim in omni membro tota & una eſt:* ſed ab membris, quæ inter ſe diſtant, & præſentiis diſtantibus ob illa membra. *Sic caput & pedes diſtant. Anima ratione præſentiarum diverſarum, quas ad illa membra habet, diſtare dici poteſt: â ſeipſâ & ſuâ eſſentiâ nunquam diſtabit. Simile eſt in Corpore in varijs locis ubicato.*

65. 14. Si

65. 14. Si corpus in duobus locis, E. erit extra aliquem locum,& non erit. Extra erit, quia in duobus esse ponitur. Non extra, *quia & in uno loco esse asseritur. At hoc verè est contradictorium. E. & prius, ex quo sequitur.* R. Si corpus in duobus locis circumscriptè, erit extra & non extrà simùl. *In nostrâ hypothesi* nullo loco de facto circumscribitur, *sicq́; est extrà tantùm, non intra simùl. Non enim in hoc casu uno aliquo loco de facto concluditur, sic enim verè hoc contradictorium esset, ut* §. 41. visum: *Sed cum* in uno per naturam sui esse postulet, ad duos aut plures præsentiam sortitur per supernaturalem potentiam. *Non asseritur in nostrâ hypothesi de facto in uno loco, sed in plurib. simul: etsi naturâ sui semper unum occupare postulet.* V. c.l. 15. Si corpus in duobus locis, erit æquale uni loco, quo circumscribetur, & non æquale, quia & extra illum poni dicitur. *At hoc contradictorium. Ergò.* R. Si corpus in duob. locis, ut uno concludatur, *tùm erit æquale illi, & non æquale.* Sed *in nostro casu* nullo concluditur, *adeoq́; nulli est æquale, sed duobus a. pluribus æquivalenter statuitur, & præsentias ad eos æquales per supernaturalem potentiam sortitur.* Deinde æqualitas corporis ad locum, vel per naturam sui intelligitur, *sic corpus naturâ sui semper uni loco est æquale, ratione molis & subjecti sui:* vel per præsentiam localem, *etiam extraordinariâ vi in eo statutam, sic & pluribus locis æquale esse potest.* 16. Si corpus â DEo in duobus locis poni potest præsentiis diversis, E. & in uno loco præsentiis diversis simùl poni potest, ut bis, ter, quater. *Par enim quoad divinam potentiam horum est ratio.* Sed hoc impossibile est, *quia ad unum locum unâ vice occupandum, una præsentia localis est determinata. E. & illud.* R. 1. Negatur Consequentia majoris. Diversa horum est ratio. *Vt corpus sit in duobus locis diversis præsentiis, fit per* præsentias specie diversas, *quæ sunt accidentia. At accidentia diversæ speciei in uno*

subjecto esse nihil est absurdi, & potentiæ divinæ effectu facile. Sed ut unum corpus sit in uno loco duplicatâ præsentiâ, *accidentia solo numero diversa inducit. Hoc a. difficilius, quàm illud. Vnde si specialis contradictio in duplici præsentiâ circa eundem locum est, non propterea debet asseri circa duos.* Alii concedunt consequentiam, & utrumq; casum DEo possibilem putant, *ut corpus unum numero simul in eodem loco per plures præsentias solo numero differentes constituatur*. Præsentiæ n. ad locum sunt accidentia, respectus nempe ad locum, ut ad terminum ubi. *Accidentia a. vel specie, vel numero differentia, in uno subjecto conformari, DEO non impossibile.*

66. 17. Si corpus in duplici loco, F. uterq; locus major re locatâ erit, quod absurdum. *Locus* n. locato æqualis esse debet. ℞. 1. Nihil absurdi hic. Locus est æqualis locato, sed vel per naturam se habenti, vel per supernaturalem gratiam exaltato, V. §. 65. *Ita* duo loca *erunt* æqualia locato per diversas præsentias ad duo loca, *quibus corpus divinitùs duobus locis obtinendis æquale factum est, non essentiæ ratione & subjecti*, sed adessentiæ, *& ad locum habitudine.* Sic anima etsi una in se, *præsentiis tamen multiplicibus æqualis est variis locis membrorum corporis, quibus una totaq; simul adest.* V. §. 64. 34. 2. Nec, si uterque locus major sit re locatâ, absurdi aliquid sequitur. *Ita angelus præsens potest esse spatio unius milliaris. Spatium hoc re ubicatâ, angelo, majus erit. Regula*, locus sit æqualis locato, de loco proprio loquitur, qui terminus Corporis continentis & concludentis est, ac quo actu Corpus concluditur & continetur. *In nostro autem casu* de loco generaliter saltem dicto *quæstio est*, ut & ubi angelicum comprehendat, cum & in angelo Polytopian divinitùs possibilem agnoscamus. Tum neutei Locus actu corpus concluderet, *sed in illis citra actualem circumscriptionem adesset. Nec ergò* regula illa *hic accommodari debet.*

18. Si

67. 18. Si corpus in diversis locis simùl, & in diversis temporibus simùl esse potest. Vtrumq; enim est corporis circumstantia, locus & tempus. *At hoc non. Sit enim simùl esset præteritum & futurum, & in præterito ac futuro tempore res esset, quòd impossibile & contradictorium. Non enim præteritum esset præteritum.* ℞. Non est par Consequentia. Tempora successivè fluunt, non consistunt, *ideò in duobus temporibus simùl una res esse non potest. Semper enim alterum tempus pertransiit.* Loca consistunt, & non effluunt, *ideò in illis res una simùl ubicari potest. Persistunt enim unà cum Corpore in locis statuto, tanquam Vbi quædam, in quibus subjecta ubicantur.* Pone mihi duo tempora, præteritum & futurum, simùl: *Ego simùl & in præterito me tecum disputasse, & in futuro disputaturum dicam.* Duo loca, Germania & China, simùl sunt: Duo tempora simùl esse non possunt: sed si unum est, alterum desiisse necessum est. *Præteritum fuit, futurum erit, nondum est nec fuit. Multa etiam in locis non sunt, quæ tamen in tempore sunt, ut* f. 4. §. 31. d. ess. alicubi *dictum. Vt & in hoc sit disparitas.* Conf. §. 79. hujus Tractatus. 19. Nequit quantum esse extensum in loco, nisi prius sit extensum in se. V. §. 26. f. 4. d. ess. alic. *E. nec bis in loco extensum esse potest, nisi bis extensum in se fuerit.* Sed bis extensum in se, facit duplex quantum, *& unitatem ejus numericam destruit. E. & bis extensum in loco eam destruet.* ℞. Negatur Consequentia prioris, bis in loco extendi statim bis in se extendi facere. *Non horum est par ratio. Extensum in se* & in totum, formale quanti est, *quod fundamentū est extensionis localis, si terminus ambiens & circumscribens in Corpore adsit, non autem ipsa extensio localis,* V. c. l. *Ideò extensio localis sine extensione in totum esse non potest, sicut modus nequit sine suo fundamento esse, cujus est modus.* Sed isto fundamento posito, potest in eo vel una exten-

sio loralis fundari, ut ordinario naturæ processu & capacitate Naturali: vel duplex aut multiplex, ut casu extraordinario & potentia obedientali ad DEum respiciente. *Postquam enim res partes habet in se, nihil repugnat, divinitùs illas in diversis locis habere.* Posteriora multiplicari possunt in re, non multiplicatis prioribus. Sic modi & attributa in ente, accidentia in subjecto uno eodemq; manente. Sed subjecta nequeunt multiplicari, *quin simùl multiplicentur accidentia. Sic ubi diversa Corpora disjuncta, diversa loca, colores, figuræ, &c. Extensiones autem locales sunt posteriores extensionibus quantitatum. Illæ ergò multiplicari divinitus possunt,* quantitate unâ existente & manente. Et ut contra naturam *extensionis quantitativæ non est, privari in totum extensione locali, ut quantum de facto in loco non sit, ut* t. 6. seq. s. 4. d. E. A. *Ostensum:* Sic nec contra naturam ejus, *in duabus extensionibus localibus unam manentem, divinitùs sisti.*

68. 20. Quod est in ubi finito, est hic, & non alibi. Sed omne corpus est in ubi finito. E. alibi non, *& sic nec in duobus locis simùl esse potest. R.* 1. Ad majorem. Quod est in ubi finito scil. circumscriptè de facto, vel definitè ad unum arctatum, id demùm est hic, & non alibi. *Non a. si uno de facto definitum non sit, sed potestate superiore in pluribus statutum sit. Vt in nostro casu esse asseritur.* V. §. 52. 56. 2. Ad minorem. *Omne corpus est in ubi finito sc. per* naturam sui. *E. scil.* per eandem *alibi simùl esse nequit, quod nec Nos affirmamus. Sed* à naturâ rei, ad negandum simpliciter aliquid, etiam per potentiam divinam, non valet Consequentia. Conf. t. 55. *Ignis per naturam sui urere postulat ustibilem & admotam materiam. Per potestatem tamen divinam* aliquando eam non ussit, *cum mirabiliter impediretur, ut in fornace Babylonicâ. Idem de ubi uno corporis habendum.* 21. Si DEus corpus in duobus locis poterit

terit locare, poterit & illud in uno annihilare, in altero conservare, *eritq; tale corpus simùl ens & non ens, aliquid & nihil, quod simpliciter contradicit, & nullâ locorum diversitate rei simùl competere potest. Sed hæc absurda sunt. E. & prius.* R. Negatur consequentia Maioris. *Corpus in multis locis statuere, insignis est perfectio*; annihilari insignis imperfectio. *Non debent de corpore in perfectiorem statum evecto, perfectiones simùl & imperfectiones enuntiari, sed perfectiones tantùm.* V. §. 41. seq. *Repugnat enim, simùl perfici & destrui, evehi & deprimi, existere & simùl non existere. Ideò de uno eodemq; Corpore enuntiari non debent, ne diversitatibus quidem locorum admissis.* V. t. 61. seq.

69. 22. DEus non refigit leges Naturæ â se fixas, nec unquam ita immutat, ut idem velit vel faciat aliquid simùl esse & non esse. *Sed lex naturæ unum corpus uni loco unâ vice addicit. E. contra hoc DEus agere non instituet, nec ullum corpus sic ponet, ut simùl sit Corpus, & non sit. R.* Omnis creaturæ cursus habet naturales leges. Super hunc Creator apud se habet posse de omnibus facere aliud, quàm naturalis ratio permittit, supra §. 31. ex Augustino *audivimus. Non refigit DEus leges naturæ, scil.* ubi ordinariè *agere vult: benè tamen, ubi extraordinariè. Sic* fecit Virginem *salvâ virginitate gravidam fieri, & filium parere, quod Natura Virginis in sese aliàs adversum. Refixit legem naturæ* aquarum, *& fluxum earum impedivit, cum naturâ sui defluere vellent,* V. §. 22. *Ignem impedivit, ne ureret admotam & ustibilem materiam, Cum aliàs ussisset.* Dan. 3. *Humanitatem quandam impedivit, ne propriâ & humanâ subsistentiâ subsisteret, quorsùm aliàs per naturam sui inclinat, & ad subsistentiam divinam & infinitam traxit eam, ut in Christo nobiscum fatentur* Reformati. Redire idem numero, *quod corruptum est, Verbo claudis incessum, mutis loquelam,*

Cœcis

Cæcis visum, surdis auditum, in integrum restitui, Unionem personalem *DEi & hominis in unâ personâ esse*, tres personas *in unâ numero essentiâ esse*, Ex nihilo negativo *aliquid positivum fieri, & ex aliquo positivo in nihilum negativum vicissim resolvi*, omnia Naturæ leges refigunt, *quæ talia non admittit*, sed pro impossibilibus habet, *Vt constat. Pro verissimis tamen in fide Christianâ habentur, & â* Reformatis *nobiscum defenduntur.* V.§.13.14.seq. Animal brutum loqui, *leges naturæ refigit, quæ loquelam soli homini propriam facit. Factum tamen divinitùs, Bileami asina docet.* Is qui naturæ author & sustentator est, *ejusdem leges ordinarias, ubi visum fuerit, refigere potest.* V. §. 22. Martinius lib.2.Theol.p.1435. DEus, ut verbi generalis exceptionem, quoties voluit, statuit in verbo speciali: Ita etiam naturæ communis analogiam, cum lubet, per aliquam mirabilitatis anomaliam variat. Id a. cum facit, supra & præter naturam potius agit, quàm contra eam. Plura t.31.21. *vide. Sed nec ex eo Corpus non corpus esse sequitur, si in multis locis simul ubicatione supernaturali collocetur.* V.c.l. t. 53.

70. 23. Corpus in multis locis esse, pugnat cum DEi veritate, *quæ corpus voluit esse circumscriptum, quantum, locale*: Cum DEi immutabilitate, *qui veritatem in naturâ semel fixam convellere non potest, nec contrarium ejus velle*: Cum Dei â creaturis diversitate, *solus n. Deus infinitus. At si corpus omnipræsens, infinitum erit. Ab infinitate n. Omnipræsentia divelli non potest, ut fatetur* Sigvartus l. 3. c. Iren. Par. c. 3. a. 5. Cum DEi infinitate, *quâ solus Deus infinitus, nec in ejus communionem ullum creatum adsciscit*: Cum unitate, *Corpus n. omnipræsens immensum fiet, & sic novus Deus*: Cum summâ potestate, *quæ contradictoria velle non potest.* At sententia, quæ cum his pugnat, non est à Christianis acceptanda. E. nec ea, quæ corpus multipræsens vel omnipræsens statuit. *Ita* Crocius def.

def. conv. Pruten. c. 4. R. Meræ petitiones principij hæc universa sunt. Cum nullo Dei attributo hæc pugnant. *Voluit* veritas DEi, *corpus esse circumscriptum, sed finibus essentiæ, molis, & figuræ*, non præcisè ambientis loci. *Sic enim multa corpora de facto non sunt circumscripta.* V. §. 6. seq. s. 4. d. Eff. al. *Voluit* esse quantum, *i. e. extensum in totum, non præcisè in locum, nisi ubi in contiguitate aliorum cingentium corporum est positum.* V. §. 27. c. l. *Voluit* esse locale, *i. e. quod locari aptum sit, non præcisè locatum, & quod facto loco contineatur.* V. §. 16. seq. c. l. Immutabilitas DEi *non potest contrarium veritati Naturæ à se fixæ velle, sc. quod verè isti veritati contrarium est, ut esse ejus evertat. Ita non potest velle, ut corpus aliquod naturali modo se habeat, & simul suprà Naturæ leges sit elatum.* Hoc veritatem Naturæ propriè evertit. *Veritas enim naturæ est, ut quod naturaliter se habet, usitato naturæ modo se habeat, non supra contraq; eum procedat. Sic non potest DEus velle*, ut ignis prorsùs naturaliter se habeat, nec ullo superiore ab agendo impediatur, Nec tamen adurat admotam ustibilem materiam. *Per hoc enim ignis natura evertitur, & ignis esse asseritur ac non esse, quod DEus velle non potest.* Benè tamen DEus aliquid legibus Naturæ usitatis exemptum, supraque eam evectum velle potest, *& in eo secùs, ac Naturæ leges habent, statuere. Quod interdum etiam contra naturam esse dicitur.* V. §. 22. *Sic ignem non urere, humanitatem propriâ subsistentiâ carere, brutum loqui, DEum & hominem in unum suppositum coire, velle potest, & de facto fecit. Ita* ipse Martinius in *hoc negotio.* V. §. 69. *Hæc ultrà supràq; naturam sunt. Contra veritatem ejus* rigidè *non sunt, quod tùm demùm erit*, si & Naturaliter se rem habere, & tamen præter supraq; Naturæ leges constitutam esse asseratur, quod in nostro casu non est, *quo Corpus supernaturali statu ita ubicatum iri asserimus, non Naturaliter se*

habiturum affirmamus. Tò contra interdum latè ſumitur, quidquid contra & ſupra ordinariũ Naturæ proceſſum eſt. *Sic in omnibus miraculis DEus* contra Naturam, *i. e. ſupra agit:* Interdùm ſtrictè, quod Naturæ veritatem evertit, *ut hominem eſſe, & irrationalem eſſe, brutum eſſe, & rationale eſſe. Naturaliter rem eſſe, & ſupra naturam evectam eſſe. Hac DEus non aget, nec agere velle poteſt. Ita non faciet hominem naturaliter ſe habentem, & in ſubſiſtentiâ divinâ ſubſiſtentem. Hoc enim veritatem Naturæ in naturaliter ſe habendo evertit. Benè tamen talem faciet, ſed* prorsùs ſingulari & ſupernaturali modo ſe habentem, *ut in Chriſto homine extraordinario & divino, Chriſtiana fides confitetur.*

71. DEi à creaturis differentia *ſolum DEum* infinitum *vult. Sed per multipræſentiam aut omnipræſentiam corpus non redditur infinitum, Multum enim differunt Infinitas & omnipræſentia, etiam in ipso DEo.* V. ſ. 2. §. 21. 22. d. Es. al. *Omnipræsentia ſi per naturam ſui alicui inſit, nec posſit non ineſſe, ita demùm reddit infinitum, & hoc vult* Siguuartus c. l. *At hoc ipſe* Martinius *intendit,* V. t. 50. *Omnipræsentia eſſentialiter competens propria eſt ſolius DEi: non, ſi abſolutâ poteſtate extraordinariè in Creaturâ conciliatur.* V. ſ. 2. §. 36. d. E. A. *Sed nec Nos de* omnipræſentiâ *præcisè diſceptamus, ſed* multipræſentiâ. *Hæc etiam multùm differre* §. 49. *dictum.* DEi infinitas *nulli creaturæ eſt communicabilis,* nec nos *corpus multipræsenter ubicatum infinitum reddi agnoſcimus, nec multipræsentia cum infinitate neceſſariò cohæret.* Deinde, etſi *infinitas eſſendi nulli creato ſit communicabilis, ut creatum eſſentiâ ſui fiat infinitum;* ſubſiſtendi tamen communicari poſſe humanitas Chriſti docet, *quæ* in infinitâ ipſius DEi λόγυ ſubſiſtentiâ ſubſiſtit, *ut creatura in infinita hypoſtaſi indiſtanter ſubſiſtere posſit, Quod de Chriſto homine Catholica fides profitetur.* DEi unitas *ſolum ipſum im-*

men-

mensum facit. At corpus multipræsens nec infinitum, nec immensum reddi, credimus. Retinet terminos finitionis suæ essentialis, etsi adessentias locales diversas in finitate naturæ illius *producat potestas infinita. Adessentiæ illæ sunt* respectus accidentales ad diversa ubi corpori illati, *qui corporis essentiam divisam, infinitam, vel immensam, reddere non possunt.* Summa DEi potestas verè Contradictoria velle non potest. *At nulla hic Contradictio: Corpus naturâ sui finitum, & ut uno loco concludatur, habile: & per supernaturalem potestatem* diversis locis ubicatum, *& diversas præsentias ad diversa ubi respicientes adeptum.* Conf. §. 22. Ita nullum attributorum *divinorum per Nostram sententiam evertitur.*

72. 24. Quod non suis terminis finitur, non est circumscriptum. Quod non est circumscriptum, non est finitum. Quod non est finitum, non est Corpus. *Sed corpus in diversis locis statutum* non finitur suis terminis, est enim & extra illos, *quando ultra proprium locum extendi dicitur.* E. nec est finitum, nec Corpus. Et sic veritas Corporis multipræsentiâ omninò evertitur. ℞. Antecedens vel sic intelligitur: Quod non suis terminis scil. essentiæ, molis, & figuræ finitur, *non est circumscriptum sc. in essendo, sed infinitum evadit, Ita concedimus illud.* Sed negamus Consequens, *Corpus in diversis locis statutum non esse finitum terminis essendi, molis, & figuræ.* Omnino enim sic finitum manet, etsi diversas præsentias ad plura ubi supernaturaliter nanciscatur. *Hæ enim nec termini essendi, nec molis, nec figuræ, in Corpore sunt, nec eos in eo tollere possunt.* V. §. 53. seq. Vel Antecedens hunc sensum habet: *Quod non* terminis sc. ambientis loci *finitur, non est circumscriptum sc. ambiente loco. Sic etiam concedimus. Sed consequens negamus. Quod non est circumscriptum sc. loco, non est finitum. Multa enim corpora finita in se, quæ locis non circum-*

ſcripta, V. §. 6. 7. ſeq. ſ. 4. d. E. Al. *Ita manebit in noſtro caſu Corpus, etſi loco uno & concludente de facto non circumſcribatur.* Deinde, Corpus in pluribus locis ſtatutum non finitur terminis ſcil. concludentis loci, *concedimus, ſic enim & extra unum locum eſt, adeoq; eo concludi non poteſt. Concludi enim intra tollit extra*, V. §. 43. ſeq. *Sed, E. non finitur terminis ſc. eſſendi & figuræ, negamus.* A non concludi externo ambiente termino, ad non finitum eſſe eſſendo & figurâ, non valet Conſequentia. *Multa Corpora eſſendo & figurâ terminata, etſi ambientibus terminis locorum non includantur.* V. §. 6. 7. c. l. 25. Locus cuivis Corpori locato eſt adæquatus. E. non admittit plures ejus locos inadæquatos. *Adæquatum enim inadæquationem tollit. Et manebit Corpus* æquale Vni loco, & non æquale, *quod Contradictorium.* V. §. 65. Rx. Locus locato eſt adæquatus per Naturam ſui, *ſi Corpus de facto uno loco circumſcribatur. Sed in noſtro caſu Corpus non uno loco circumſcribitur, ſed nullo, & in diverſis locorum ſpatijs per ſupernaturalem potentiam citra actualem concluſionem in uno, ſiſti dicitur.* Ab eo, quid locus per naturam in locato ſit, non inferendum ad id, quid per ſupernaturalem potentiam in eo eſſe poſſit. *Locus in corpore diverſim ubicato, non eſt terminus de facto circumſcribens, hic enim extrà non admittit: Sed ſpatium ubi* ſimplicis, citra concluſionem, circumſcriptionem, aut incluſionem, *quomodo de corpore taliter ubicato ſentire par eſt, ut perfectiones ei inferas, non imperfectiones.* V. t. 34. *De* æqualitate t. 64. 65. *vide.*

73. 26. Secundùm naturam Corporis & ex eâ eſt, in uno ſpatio eſſe. E. contra eam, in pluribus, & ſic naturam ejus verè hoc evertet. R. Neg. Conſequ: Ei, quod eſt ſecundùm naturam, *non ſolùm contra Naturam, ſed & præter, ultrà, ac ſupra Naturam opponitur, & hæc non evertunt naturam corporis,* ſed ultrà eam evehunt, ac præter eam conſtituunt. *Et ita in*

noſtro

nostro casu est, ubi Multipræsentia supernaturalis perfectio divinitùs corpori illata est, non præcisè naturam ejus evertens. V. t. 22. 23. 41. Sic secundùm naturam est, *grave in aquis mergi. Supra naturam tamen aliquando non mersum est, 2. Reg. 6. v. 6. Nec natura ejus per id eversa. DEus sæpiùs Naturæ leges refigit, nec Natura tamen rerum evertitur, sed relinquitur.* V. §. 69. *Quòd si τὸ* contra Naturam abusivè sumatur, *pro ultra & supra Naturam, sic contra naturam hoc esse largimur, sed corpus inde destrui, & veram Contradictionem ac impossibilitatem rei inferri negamus.* V. §. 22. 70. 27. Per Philosophicas istas de Multipræs: disceptationes fides de Omnipræsentiâ Christi hominis magis suspecta, quàm confirmata, redditur. Illa enim supra & ultra omnia loca est. *Multipræsentia a. conceptũ ad loca defigit.* ℞. 1. Nondum de omnipræsentiâ Christi hic disceptatur, *quam ex ratione nunquam invenies, sed revelatione, Verbo, pactis, promissis,* §. 83. seq. *Sed de Corpore universim, quid DEI potestas in eo possit. Hæ quæstiones a. multùm diversæ sunt,* An Deus *Corpus aliquod in duob. locis simùl sistere possit,* & An Christus *etiam secundùm humanam naturam bis in terris adsit, aut adesse possit?* V. t. 3. De priori posse ex ratione & Scripturâ apud Christianum probabis: Factum *de posteriore* ex solâ Scripturâ, t. 84. 89. seq. *Et de hoc fides est. Cum possibile* quæstio Philosophico-Theologica *ultra fidem ad pleniorem notitiam pertinens sit,* t. 4. 5. 2. Si per id res fidei suspecta redditur, Cur ipsi Reformati *talia disceptant,* Ut Chamier, Sohnius, Crellius, Amesius, Vorstius, Alstedius, Wendelinus, t. 1? Cur ex ratione *impossibilem multipræsentiam Corporis ostendere nituntur?* Cur *nobis etiam* ex naturâ *possibilem eam esse, probare non liceat?* Sic *attributa Dei communicari homini non posse, unum corpus uno loco contineri, finitum non esse capax infiniti,* ipsi *ex Naturâ probant.* Cur *nobis oppositum ex eadem*

probare non liceat? 3. Eos, qui multipræſentiam finiti DEO poſſibilem abſolutè negant, *commodè etiam* ex Naturâ *revinces, non eſſe contradictoriam, & ſic rem fidei planiorem & evidentiorem facies, non ſuſpectiorem. Sic* ſi gentili *oſtendas, poſſe DEum ex nihilo aliquid facere, & poſſe naturam humanam in ſeſe aſſumere,* Quod Patres frequenter faciunt, *longè melius & faciliùs ad creationem mundi ex nihilo, & incarnationem Chriſti credendam, induces,* quàm *ſi ea omnia relinquas,* & ipſe *meras contradictiones crepare pergat, nec quicquam ei illas eximat.* Idem erit, ſi reſuſcitationem mortuorum DEO poſſibilem gentili demonſtres, *Vt ad reſurrect. Mortuor. credendam commodiùs eum inducas.* t. 14. *Simile de* Reformatis *hic cogitandum.* Non abſolutè de fide hic quæritur: ſed de notitiâ explicandi & defendendi fidem, contradictiones contra eam formatas eximendi, & Adverſariorum argumentis ſatisfaciendi. t. 4. *Vbi* & ex Scripturâ, & Naturâ *procedere, & Adverſarium ad credendum inducere licet. Sic* in puncto de Trinitate *longè aliud, fidem habere: & Adverſarios in iſtâ materiâ ſufficienter refutare. Hic Contradictio eximenda,* & poſſibilitas rei in *divinis contra negantes adſtruenda.* t. 3. 5. 82. ſeq. *Sic* Chriſto *naturale Corpus fuiſſe, ex Phyſicis oſtendes, Quòd eſurierit, ſitierit, ederit, biberit, dormierit, fatigatum fuerit, tandem verè expirarit, ubi* Majorem ex Phyſicis *deſumes*; minorem ex Scripturâ. Nemo *per id fidem de humanitate Chriſti ſuſpectam reddi dixerit.* Diſciplinæ vel ſubordinatione, vel coordinatione, conveniunt, *& ſic alteram in alterius ſubſidium advocare licet, quod* in quæſtionibus Miſtis ipſi Reformati *frequenter agunt.* V. d. 13. Gym. Log. t. 29. Et d. 14. Log. contract. t. 9. Et Decad. 1. Miſc. d. 8. t. 9. Ac alibi *pleniùs expedietur. Ex Patrib. vel* Solum Auguſtinum l. 2. d. doctr. Chriſtianâ conſule. 4. Præſentia Chriſti ultra et ſupra loca eſt, quoad modum & rationem, *quia non*

localis

localis, non locis adstricta, nec infirmitatibus eorum subjecta est: Non quoad terminum, *quasi nec ad loca, ut ad terminos, ubi aliquid sit, respiciat. Sic n. Christus DEus homo* & hic, & illic, & alibi *est, ubicunque eum futurum in Verbo revelatum est.* §. 82. seq. Conf. §. 103. *Sic DEi præsentia supra loca:* Hic tamen & illic *adest, ubi* Corporeorum respectu *verissima loca sunt, etsi* Dei ratione *talia non sint.* V. f. 2. d. Eff. alic. t. 17. f. 3. t. 13. f. 4. t. 41. Conf. t. 83. hujus Tract.

74. 28. Patres omnes Vbiquetatem Corporis alicujus detestantur, & Corpora proprijs suis spatijs contineri asserunt. R. De Patribus *responsum*, §. 38. 39. f. 4. d. Eff. alic. *Præsentiam Corporis Christi substantialem* in Sacramento Eucharistiæ *magno consensu credunt*, V. §. 31. *Non possunt Multipræsentiam Corporis DEO impossibilem judicare*, in quâ Nos, quod volumus, habemus, etiamsi de Vbiquetate nihil constituamus. *Cum negant, Corpus multis locis simul esse*, vel *ad naturam ejusque vim in corpore respiciunt:* vel *ad communem ac usitatum Naturæ cursum, quo Corpus unum nonnisi proprium unumque locum occupare solet:* vel *ad esse locale circumscriptivum, quo circumscriptè Corpus locis contineatur & concludatur, sic in multis simul sisti posse Nos non concedimus*, V. §. 39. seq. Vel *ad crassum ac vulgarem adessendi & participandi modum, quo Corpus Christi in Eucharistiâ adesse & participari interdum negant:* Vel *de præsentiâ Christi visibili & infirmitatis agunt, quâ in diebus carnis suæ in terris conversatus est, quam Christo jam in gloriâ existenti negant:* Vel simili aliquâ determinatione procedunt, *nunquam absolutè id DEI potestati impossibile affirmant.*

74. 29. Scholastici similiter Vbiquetatem Corporis detestantur, & de Christi Corpore assertam monstrum ex hæresi Nestorianâ & Eutychianâ *temperatum* profitentur. Vt Bellarminus 3. d. Christo c. 1. *loquitur. Confer* & Valenti-

am T.4.d.1.q.5.p. 2. R. Scholastici detestantur Vbiquetatem corporis, sed essentialem, *quâ aliquid per ipsam DEI immensitatem est ubiq́, nec potest non esse ubiq́, ut cælum & terram impleat*, vt apertè se explicat Becanus p. 1. Th. Sch. c. 6. q. 3. Conf. Marxium in anticor. Meyfart. p. 93. Talem de Corpore nemo Nostrûm unquam docuit, ne de carne Christi in DEum personaliter assumptâ quidem, quam personalem & mediatoriam *vocamus, non essentialem, & ex ipsâ DEI immensitate manantem, ut* §. 83. seq. amplius *patebit. Quomodo* essentialis DEi ubiquetas nostri conceptus ratione inde manare *intelligitur*, Vt s. 2. d. E. A. t. 19. *dictum. Interim* Scholastici Multipræsentiam corporis *per potestatem absolutam omnes concesserunt, & præsentiam Substantialem Corporis Christi in Cænâ propugnârunt.* V. §. 32. Et s. 4. d. Ess. alic. t. 39. Et s. 3. t. 26. 27. Quod nostro scopo sufficiens jam est, etiamsi de omnipræsentiâ nihil conlocemus. *Et illi* ipsi Scholastici *cum Multipræsentiâ & Omnipræ: Creaturæ de potestate absolutâ concesserunt.* Becanus apertè c. l. Tribus modis Creatura aliqua ubiq; esse potest in hoc mundo, (h. e. ut nos loquimur, Omnipræsens.) 1. Per quantitatem virtutis *seu perfectionis, ut si DEVS producat Angelum tàm perfectum, qui possit realiter esse præsens toti mundo, & cuilibet parti ejus.* 2. Per quantitatem molis, *ut si aliquod Corpus huic mundo æquale producat, & illud penetrativè in eodem spatio ponat.* 3. Per positionem unius Corporis in diversis locis, *ut si Corpus Christi quod nunc est in Cælo & in altari, ponatur etiam in omnibus aliis locis hujus mundi.* Valentia c. l. Quâ sanè in re minimè argumentis ego probare contendam, ne per potentiam quidem DEI absolutam fieri posse, ut Corpus aliquod creatum ullo modô præsens in omnibus locis sit. *Nam etsi omninò sit impossibile, ut Corpus aliquod, atq́ adeò Christi sit in omnibus locis per* ipsammet Omnipræsentiam divinam, ut Vbiquetarij desipiunt:

